



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Liber De Regno Dei, De Qvo Christvs Loqvvtvs Per Dies quadraginta**

**Flavin, Melchior de**

**Parisiis, 1566**

Quomodo diabolus coeperit bellum in terra co[n]tra Christum in suis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29986**

exitium tribus Bēiamin. Iudic. 21. & Hierem. 31. Vox in rama audita est, tunc toto nixu, desiderarūt salutem nostram, ad reparandam ruinam eorum, tūc sese addixerunt hominum obsequiis, maximè propter filium Dei, qui debuit fieri homo, & non angelus. Hebr. 2. Et quia homines futuri sunt in gloria, similes angelis. Matth. 22. post eam insignem victoriam, ecclesia angelorum militans facta est triumphans, sicut ecclesia nostra militans post vltimam victoriam fiet triumphans.

Iudic. 21.

Hierem. 31.

Heb. 2.

Matth. 22.

*Quomodo diabolus, cæperit bellum in terra, contra Christum in suis.*

CAP. 7.

**D**ostquam diabolus victus est in cælo cū suis, & extrusus, videns se non posse auferre Christo regnum cælestium, molitus est habere regnum terrestrium, & demum infernorum. Vnde adortus est Adam qui erat rex mundi. Gen. 1. & Psal. 8. in figura Christi regis. Rom. 5. qui est forma futuri, & Zach. 13. Adam exemplum meum, quo victo factus est Dominus eius. 2. Petri 2. à quo

O malitiam Sathane.

Genes. 1.

Psal. 8.

Rom. 5.

Zach. 13.

2. Petri 2.

quis superatus est, eius & seruus est. Arrogauit etiam sibi regnum eius, mundi videlicet, id est filiorum Adam carnaliū.

Ioan. 12.

14.16.

Iob. 41.

Luc. 11.

Ioan. 12.14. & 16. Dicitur princeps mundi, qui à nullo potuit pelli. Iob. 41. & Lu. 11. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet.

*Efficaciter  
scilicet.*

Psal. 43.77.

Matth. 26.

Nam spiritus ex Diony. est fortior omni re corporali. Homo creatus liberi arbitrij, poterat consentire vel non consentire. Vnde non inuito homine, vel coacto neque nolente Deo, sed permittente, victus est, cum esset Dominus quasi dormiens. Psal. 43. & 77. non excitatus gratiarum actione nec inuocatione, sicut cōtigit Apostolis. Matth. 26. Cum enim homo esset imago Dei, quia creatura rationalis, item ad eius similitudinem creatus, vt illum imitaretur, & imitando proficeret ad gloriam visionis. 1. Ioan. 3. Tunc similes illi erimus. & Psal. 16. Satiabor cū apparuerit similitudo tua. Conat<sup>9</sup> est diabolus eum sibi assimilare, & imprimere illi characterem suum. Vnde si homo coluisset Deum fide & charitate, & spe maiorum, iis quæ promittebat diabolus, fuisset nedum similis Deo, 1. Ioan. 3. Imo par-

1. Ioan. 3.

Psal. 16.

1. Ioan. 3.

Ioan. 10.

10

ticipatione Deus. Ioan. 10. Ego dixi, di-  
 estis. Idcirco enim constitutus est primus  
 homo huius orbis monarcha, vt omni-  
 bus reb<sup>9</sup> bene vteretur, & ordinaret eas.  
 Vnde est origo omnium legum ciuiliū,  
 quæ propter mandatum sibi datum, ap-  
 probantur: imò ecclesia habet ipsum pri-  
 mum mandatum, in quo timorem & fi-  
 dem erga Deum exerceat: exinde diabo-  
 lus, qui voluit rapere gloriã regni Chri-  
 sti, sicut Adam thesauros sapientiæ &  
 scientiæ Christi regis, de qua Esa. 7. & ad  
 Colof. 2. ad circumueniendum primum  
 hominem, vsus est sophismate æquiuo-  
 cationis, quod vocant dialectici: Pollice-  
 batur enim similitudinem Dei, quam &  
 nos expectamus, sed per Christum, qui  
 factus est similis nobis, per omnia absque  
 peccato, non per Satanam, non per fru-  
 ctus terræ, vel aliam creaturã: solus Chri-  
 stus imago patris, reparat illam similitu-  
 dinem per spiritum suum, & hic & in cœ-  
 lo. Est etiam pollicitus quod nōquaquã  
 moreretur, quod intellexit de morte cor-  
 porali. Nã si statim mortui fuissent, quo-  
 modo humanum genus multiplicassent, *Genes. 1.*  
 vt præceperat Dominus? Gen. 1. Attamē

*Sophisma æ-  
quiuocum*

Ezech. 18.

per peccatū in anima mortui sunt. Ezech. 18. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Addit quod aperientur oculi eorum, nō ad videndum omnia, sed suam nuditatem: scientes non omnia, præsentia, præterita & futura: sed bonū & malum. Ipsa experientia, vnde tandem victus amore sui vsque ad contemptum Dei, cecidit in infidelitatem de verbo Dei. Nā non credidit se moriturū, nec peccatum suum dignum morte. Vnde Gen. 3. Dixit Dominus ironicas: Adam factus est sicut vnus ex nobis. Videte ne sumat de ligno vitæ, & viuat in æternum. En infidelitatem characterem diaboli, per quam constituuntur filij diaboli, habentes eius similitudinem, qui dicuntur semen eius, id est filij. Gene. 3. & Ioan. 8. vōs ex patre diabolo estis. Aufert siquidem similitudinem Dei per quam filij Dei sumus. Vnde datur à Christo nobis fides, per quam iterū sumus filij Dei. Ioan. 1. relicta infidelitate, & caractere, & semine diaboli. Dominus qui videbatur hæctenus dormire, apparet ad auram meridianam, qui patefacta potentia Satanæ, demum patefecit cōtra illā Euāgelium de Christo se-

Genes. 3.  
Hironica  
verba.

Genes. 3.  
Ioan 8.

Ioan 1.

mine. Fuit enim amicitia inter mulierem  
 & serpētē cū illa peccaret, sed ego inquit  
 Dominus, dissoluam eam amicitiam, &  
 ponam inimicitias inter te & mulierem,  
 quæ est ecclesia. *Ephe. 5.* signans etiã Ma-  
 riam matrem Christi. Nam semen pro-  
 missum, est tātūm ex muliere. Quam de-  
 mum denunciat virginem futurā. *Esa. 7.*  
 Non enim loquitur Eux, quæ nō fuit im-  
 mediatē mater illius feminis, sed Maria:  
 sed conuertit sermonem suum ad serpen-  
 tem, & comminando & denuncians bel-  
 lum Christi contra diabolum, & victo-  
 riam. *Gen. 3.* Semen diaboli, sunt mali ex  
 peccato nati. *Gene. 3.* Multiplicabo con-  
 ceptus tuos. Nam si non peccassent, soli  
 electi fuissent nati: sed in pœnam pecca-  
 ti dictum est: multiplicabo conceptus  
 tuos: Genuit enim & electos & repro-  
 bos, vnde fuit Cayn primus filius diaboli,  
 initium ecclesiæ Satanæ, & regni mundi:  
 primum serpentis semen, ex maligno na-  
 tum. *1. Ioan. 3.* Imitator inuidiæ ipsius dia-  
 boli, agricola sectator mundi. Vnde pri-  
 mus ædificat in terra ciuitatem Enoch, &  
 filij eius inuenerunt omnis generis opifi-  
 cia, & artes, pro victu corporis & carnis.

*Ephes. 5.**Esaie. 7.**Genes. 3.**Si non pec-  
casset Adā-  
mus soli ele-  
cti nati fuif-  
set.**1. Ioan. 3.*

DE REGNO

Fuit enim Cayn infidelis, vnde in targum hierosolymitan. dicitur quòd Cayn dixerit Abel, non est iudicium, neque iudex, neque sæculum aliud, neque merces bona dabitur iustis, neque vltio sumetur de impiis, nec ex misericordia Dei creatus est mundus, nec ex misericordia eius gubernatur, eo quòd accepta est oblatio tua cum beneplacito: à me vero non est suscepta, Abel autem asseruit plane oppositum omnium istorum. Quare occisus est à Cayn pro confessione fidei, quæ est fundamentum ecclesiæ Dei, quæ est asserens cõtraria his quæ confessus est Cayn, scilicet quòd sit vnus Deus, omniũ cteator & moderator, quòd sit aliud sæculum, quòd Deus iudex iustus reddet vnicuique iuxta opera sua, quòd sit vita æterna nobis parata in alio sæculo per Christum. Vnde infidelitas Cayn, est fundamentũ ecclesiæ Satanæ, & regni mundi, per quã infidelitatem vt sceptrum regnat diabolus in suis, ad Colof. 2. qui nunc operatur in filios incredulitatis: & dicitur princeps tenebrarum, id est infidelium, sicut Christus lucis, id est fidelium, habentium lumen fidei. Ephe. 5. Eratis enim aliquando

*Psal. 61.*

*Coloff. 2.*

*Ephes. 5.*

tenebræ, nunc autem lux in Domino, si enim Abel tantum inuidia fratris fuisset occisus, quomodo esset martyr Dei? qui tamen. Matth. 23. Pronunciatur primus martyrum? Iste error Cayn præualuit apud Gētiles, Epicurum, Lucianum, Democritum, Saduceos: & sæpius impetit nos, tētatio huius infidelitatis Cayn, quæ præualebit in nouissimis tēporibus. 2. Pet. 2. & 3. Et Iudæ cap. vni. væ his qui in viam Cayn abierunt. Abel semen mulieris benedictum, simplex pastor ouium, vbi contemplabatur Christum futurum pastore, qui pro ouibus immolatus est, in cuius fide & ipse obtulit. Heb. 11. Fide plurimam hostiam Abel quàm Cayn obtulit Deo, per quam testimonium cōsecutus est esse iustus, testimonium prohibente muneribus eius Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur. Non coluit terram, non ædificauit in hoc mundo, ostendens se ciuem cœli. Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus, de qua Hebr. 13. Non habemus hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.

2. Petri 2.

S. Iud.

Hebr. 11.

Hebr. 13.